

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXVII. Ad Aeneidos IV.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

XXXVI. STRICTURAE AD HIST. HERFORD.

destitit, quanto maior fiducia in tabulis imperii fuit, in quas urbs relata, possessionis titulo se fulciebat. Inter haec dissidia, multae post mutationes evenerunt, et interitus familiae acqvirentis, bellumque Germanicum, rebus his moram impedimentumque attulerunt. *Vid. Acta publica in causa exemptionis Herfordiensis quae publice extant.*

§. XIII. Postea El. Brandenburgico Comitatus Ravensburgius obtigit, qui rem in eo statu non relinquendam ratus, Herfordiam periculis molestiusque diu fatigatam, multo tandem labore sumtuque vindicavit, redactamque in obsequium, cum ditione comitatus Ravensburgii, in quam pacto, et cessione Monasterii, cui urbs originem et incrementa debet, superiori aevo venerat, denuo coniunxit. *Gesta haec sunt annis 1647. et 1652. illam obsidio, hunc deductio et obsequium urbis insignivit.* Ab hoc tempore pacis amans, sine labe Principem, cuius imperio defenditur, colit, et in fide perseverat. Demum a Gallis, Belgium, finitimumque limitem invadentibus M DC LXXIII. intercepta, nec multo post, constituta pace, reddita, nemini charitate in Principem concedit.

XXXVII. AD AENEIDOS IV. 265.
(DE KARTHAGINE.)

QVUM saepe mihi in mentem venit KARTHAGINIS, tum eius tanta semper fama amplitudoque fuit, ut non modo multis fortunae bonis floreret, sed etiam omnium aetatum seculorumque monumentis celebraretur, usque eo, ut iam inde antiquitus creditum fuerit, eam regis auspiciis enituisse.

§. II. Vergilius, cui neque ingenium, neque materia scribendae Aeneidos defuit, in eam sententiam discessit olim, et praeterquam quod gravi elegantique carmine urbem illam, Romae cum floreret, potentia opibusque aemulam, ab oblivione vindicavit, a Didone quoque conditam fuisse, tradidit. Quod recte dictum sit, nec ne, multi solcite inquirunt, nec pauci dubitant: mihi in tanta ultimorum temporum caligine videtur, illud sive scribendi licentia, quam Poetae mythici sibi sumunt, sive odio in Carthaginenses scriptum fuisse. (a)

(a) *Vid. Macrobius V. Saturnal. 17. Dionysius de situ orbis a Peisiciano in Latinum conversus: Apollonius Rhodius, ad quem edendum operam contulit Iohannes Hartungus, Argonaut. 4. hanc Ataroni non causam quidem, sed occasionem fugendi dedit.*

dedit, ut quae de Medea prodidit, hic comminiscens ad Didonem accommodaret. Ausonius Gratiani Imp. aequalis, epigram. CXVIII. collaudat Didonem, et defendit castitatem, et coarguit ipsum Maronem, propterea quod fabulam lascivientis Didonia versu celebrasset. Conf. Antholog. lib. 4, Caelius Rhodiginus lib. 4. cap. 1. Et. ant. recondito quodam sensu, quem allegoricum nominant, lectorem delectat, cum quo non inutile sit coniungi Ovidium, Virgilius in parte eius fabulae applausorem, cuius extat epistola sub nomine Didonis ad Aeneam scripta.

§. III. Quae sententia eo minus mihi displicet, quia multae et graves causae sunt, cur existimem, Vergilium, cum id versibus mandaret suis, omnino esse fabulatum, ut dignitatem Aeneae, cui hic falsam laudem affinxit, copiosius ornaret. Fuit enim tam cupidus eius celebrandi, ut prodigus interdum esset amor, et non tantum studio atque singulari suavitate condiret fabulas, sed culpa quoque sua adderet errores, quibus quanto magis voluit, tanto minus aliquando delectavit. (b)

(b) Notat hoc Tobias VVeberus in historia metrica de origine et incrementis Comitum Nassioicorum pererudite conscripta, propterea quod fingit Aeneam in Africa, cervorum experti, cervos esse iaculatum, quae in parte decorum neglexisse videri potest. Licet sint, qui excusatione poetici moris id levius ferant, alii etiam ultima retro tempora, quae heroica nominant, respexisse Maronem putant. Servius ad Vergil. lib. 1. p. 413. edit. Basil. Sed vero haud scio, an iis rebus poeta rationem tenuerit eius, quod in personis τὸ ὁμοίον καὶ πρῆπον et in rebus τὸ ὁμοίον καὶ αἰεμότιον nominatur. Paene aliquid simile in Homero notavit Pausanias in Atticis, pag. mib. 26.

§. IV. Illud sane liquet numerum annorum ineuntibus, Didonem magno temporis intervallo ab Aenea separari, et firationes conficiendae sunt trecentis post annis, quam Aeneas Troia profugus Albae regnaverat, Carthaginem conditam fuisse, cuius initia Didoni accepta ferunt, et numum afferunt ad memoriam tanti operis insignem, sed mihi suspectum merito, et quum penitius confidero, falsitatis quoque manifestum. (c)

(c) Una parte cum reginae, quam praefert effigie, haec verba incisa sunt: ΔΙΔΩ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ: altera et aversa. ΚΑΡΧΗΔΩΝ, cum imagine arcis: qui quamquam insigne quiddam praestare nobis videri potest, tamen neque ultimae antiquitatis convenit, et longe alium profecto autorem habet, qui recentioris imitatione moris effinxit, talemque eius formam expressit, ut vel inspecta fucum ostendat. Proinde multis indicis veri numi reginarum, ut ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, et similium, ab adulterino hoc facile distinguuntur. Alioqui Carthaginem ab Didone Phoenissa est conditam, testimoniis suis confirmant Strabo lib. XVII. Iustinus hist. XII. V. 8. seqq. Solinus polyhist. cap. 30. Herodianus V. 6. Orosius lib. 4. cap. 6.

Iustinum in ea parte secutus. Eo digitum intendit Iosephus lib. 1. contra Appionem, et antiq. Iudaic. lib. 2. cap. 16. A qua sententia discessere Appianus in libro de bello Punico a principio, Eusebius in chron. p. 100. Stephanus de Urbibus, notissime Zanchius commentator Salustianus, quos cur deseramus, multa faciunt, praecipue auctoritas Strabonis, emendatissimi augusto seculo Geographi, ac Tiberio imp. aequalis, qui Carthaginem Didonis opus fuisse indicant. Appianus nomina commutat, et quando Xorum atque Carthodonem nominare urbes debuit, earum conditores haud recte iis nominibus extulit. Ex recentioribus vere sciteque suffragantur Iosephus Scaliger de emend. temp. not. in fragm. p. 27, 28. Claudius Salmasius in Solin. d. loc. Gerhardus Iohannes Vossius, Samuel Bochartus. Caeterum Carthago, quae Solino Karthada est, Hannoni Plautino dicitur Chaeдреанех, quod perperam in editione Aldina scribitur, Poenul. aet. V. Col. iii. Neque vana est Iohannis Seldeni, summi inter ICTOS Angliae polyhistoris querela, Plauti exemplaria plurimum depravata affirmantis, prolegom. de DIS Syris cap. 2. Dido eius patris urbis antea nuncupata est Elissa, quod praeter historicos comprobat Servius Francisci Modii, diversus a nostro illo, qui passim lectitur. Neutrum sane nomen in illo antiquissimo, qui quidem probus sit, numo reperias, neque iis, qui imaginem capitis equi pariter et Urbis huius continent. De patre regio viraginis perplexae disputant: suntque posita ante oculos monumenta, quibus consicias, eius patrem fuisse Pygmalionem. Sed id ob mendosam lectionem Theophili Antiocheni, qui enumeravit Tyri reges, unde orta Dido, Carthaginem struxit molitaque est, non temere cuiquam liceat. Quamobrem cum Eustathio, cuius hic multum valet auctoritas, cuiusque extant commentationes in Dionysium de situ orbis, Agnorem, sive Belum quendam illi patrem assignamus: de Belo consentit quoque Silius, poeta luculentus, et rerum Punicarum, quarum monumenta versibus composita reliquit, apprimè peritus.

§. V. Auspicium arei, cuius fundamenta Dido posuit, capite bubulo, prisco fertilitatis signo, factum memorant: quod quemadmodum acciderit, cum sedem ibi Phoenissa moliretur, Iustinus Appianusque enarrarunt. Mihi in eius fabulae cogitatione defixo haec videtur occasio fingendi anomine *Botfra*, quod ab Didone impositum erat, arrepta fuisse: cum quod Graeci Latiniqve peregrinum illud nomen non intelligerent, tum quod non recte interpretarentur, rati, eandem *Byrsam* esse, quam *Botfram* regina appellasset. (d)

(d) Priusquam Carthago aedificata est, Dido insulam Cotbonem tenuit munitaque: inde in continentem exscendit, arcemque *Botfra* dictam extruxit, quae cum urbe melioribus auspiciis erecta crevit impense ac floruit, ut medium eius locum occuparet, et ab externis scriptoribus copiose laudaretur. Diserte Strabo in media fere urbe arcem fuisse, quae *Byrsa* vocaretur. Ex quo plurimi nacti occasionem fabu-

bulandi, prodiderunt, bovis corium in partes sectum Byrsae nomen dedisse, cuius fabulae applausores fuere praeter alios Appianus ac Iustinus. Quod late refellere mihi in animo non est, propterea quod eo munere iam dudum summa doctrina ingenioque viri sunt perfuncti, Iosephus Scaliger de emend. temp. app. p. 28. Iacob. Cappellus hist. sacr. et exot. A. M. 3127. nec non commentatores in Appianum et Iustinum. Eius urbis tres partes faciunt, antiquissimam, novam, quae auctore Solino speciatim Karthada audit, et Byrsam, urbis arcem, conf. Cappellus A. M. 2961. Abrab. Ortelius in Vet. Geogr. tabul. tit. Africa propria. Sed quamobrem Κάρκιδον dicta fuerit, explanatum est a Iustino XIIX. VI. 16. et intelligi potest ex Vergilio, in quem commentamur, Aeneid. I. atque in eum Servio pag. 470. Stephano Byzantio, et compluribus aliis. Vnum hic, quod delectationi serviat, occasione byrsae, quam bovis corium interpretantur, de boum effigie in moneta antiquitus incisa addamus. Cuius rei eo minor debet esse dubitatio, quia praeter varia numorum monumenta, dudum id submonuit Homeri, quem Vergilius in Aeneide cum primis imitatus est, Scholiastes, qui indicat, vetustissimos reges cudisse numos, qui una parte bovis, altera regis imaginem praeferrrent, cuiusmodi neque apud Graecos, neque apud Latinos sunt infrequentes. Apud Francos boves vehendis quoque regum curribus esse iunctos, penitus perspexi planeque cognovi ex anal. Pitboean. an. 751. Eginbarto de vita Karol. M. cap. 1. ubi id de Childerico III. primae stirpis Francorum rege ultimo traditur, qui cum legatur Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 26. Sed haec aliena instituto sunt, nisi quod huc attinet afferri numos, quorum alter hanc inscriptionem exhibet. ΑΓ. ΤΤΧΗ ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΗΔΩΝ: alter his verbis insignitus conspicitur: INDVLGENTIA AVGG. infra subsignatum est. IN CARTH. Vterque percusso est impenante Alexandro Severo, sub quo et urbes veteris imperii, et ingenia arte iuris praestantissima, magna cum primis eorum temporum felicitate, adoleverunt plurimum et floruerunt.

§. VI. Eam qui FELICEM extulerunt, nec pauci fuerunt, et quamobrem sic extulerint, nunc commentationis hanc viam ingresso convenit referre, et non modo pristinae excidium urbis, sed instauratae etiam splendorem considerare.

§. VII. Itaque ab antiqua Carthagine ordiar, quae robore viribusque suis nixa, audaci conatu contra urbem Romam contendit, et potentia praefidiisque militiae navalis multum semper valuit, ac meruit, ut inter maximas terrarum urbes numeraretur. *

* Florus epit. hist. Rom. lib. 1. cap. 16. Eius ambitus tribus millibus passibus patuit, epitome Liviana (quae vulgo cum Flori epitome confunditur) lib. 51. Situm formamque descripsit Polybius, qui unus scribendae historiae, quae res imperiorum universe gestas complectitur, causas rationesque tenuit, ac posteris tradidit, Romanos non prius imperium in Asiam Africamque porrigere potuisse, quam Carthaginenses bello superassent, lib. 1. Ex quibus intelligitur, imperium Romanorum, ut a Strabone lib. 17. Geograph. describitur, multo amplius fuisse, quam Polybii aevi erat. Multo angustiores fines habet ho-

diernum Imperium Romanorum, quod et a veteri illo plane est diversum, et duntaxat intra terminos urbis Romae, et portionum ex prisco exarchatu reliquarum, ac patrimonii D. Petri continetur. Sed id alio spectat: nunc sufficiat de Carthagine dixisse, quod olim de Athenis dixit Socrates in Platonis Phaedro, eam urbem esse Graeciam Graeciae: haud secus enim de Carthagine existimes, Africam Africae, id est, compendium ad omnia eius regionis subsidia comparanda idoneum fuisse.

§. IIX. Haud omiserim, illam rempublicam suis consiliis atque diligentia multis seculis stetit, et navigationum laboribus nomen famamque ad externas usque gentes nationesque protulisse, et terra marique tantas opes comparasse, ut suis ipsa rebus tuta esse posset. Sed ubi ex antiqua fortuna moderationem non retinuit, et cum Romanis, populo ad omnia agenda audendaque parato, bellum incepit, exitium, quod tuendis finibus vitare poterat, praecipiti dominatus cupiditate sibi maturavit. Caeteroqui temporato optimatum imperio, quod tamen multis quoque in rebus ab optimo genere deflexerat, multa cum Spartanorum institutis communia habuit, et quos summis muneribus imposuit, virtutis pariter et divitiarum ratione a caeteris distinguit. Centum viri, quorum summa ibi auctoritas erat, designati sunt ex optimis Suffetes, qui Romanorum consules dignitate aequabant, ex opulentis eligebantur. Mores plerumque utilitas, ingenia situs maritimus ad quaestum commerciaque fugebat, nec fides tam sancta erat, ut eam commodis cupiditatisque suae non posthaberent. *

* Huius urbis multorum sermone celebratae faciem recte perspexit Aristoteles, et consilia studiaque exploravit Polybius, praestanti iudicio scriptor post utrosque Livius eam omnem operam studiumque navavit. Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9. l. 4. cap. 7. l. 5. cap. 12. in eum Petrus Victor. comment. pag. 164. Ioach. Camerarius polit. Arist. explicat. pag. 103. seqq. Polybius lib. 6. ubi eius civitatis instituta ac in deterius mutatae interiores causas rationesque exponit, cuius eo libentius recorder, quod Princeps Auersbergius cum Vindobonae floreret, Augustissimo Caesari LEOPOLDO inde egregium exemplum petiit, verumque monuit, ut in quantum imperii dignitatem libertatemque salvam vellet, in tantum custodiret liberas imperii civitates: quod quam recte dictum consultumque sit, fide constantiaque sua proximo bello testatum fecere Francosurum patria mea, atque Argentoratum, quae urbes summo studio curaque externum dominatum inhibuerunt. Livius XXII. 37. Suffetes summum Paenorum magistratum dixit, XXX. 7. cum Suffetibus consulare Romanorum imperium confert. Unde explicandus est Cornelius Nepos, qui eos Suffetes appellavit reges, usu nominis eius laxiori, & ad rempublicam Laconicam, cum qua Punicam comparavit Aristoteles, accommodato, in Hannibal. cap. 7. Non aliter ac Polybius ait. Βασιλεὺς ἦσαν παρὰ αὐτοῖς. VI. 49. Atque hic discedimus a Iohanne Bodino, viro licet historiae rei que publicae scientissimo, atque Andini Ducis consiliario olim pra-

prudentissimo, in quantum existimavit, eius civitatis statum fuisse popularem, lib. 3. de rep. cap. 1. pag. 382.

§. IX. Maris imperium affectavit diu et obtinuit, non fortuna magis, quae nec opinantem post destituit, quam usu quodam et peritia navigandi, quae Romanis etiam praestitit, eoque consilio Sardonii atque Tyrrenii maris insulas occupavit, unde aditus in Siciliam, atque hinc in Italiam communiri posset. Haud multo post nova Karthago trans mare aedificari coepta, sedem potentiae firmavit, ac ductu Asdrubalis magnum rebus Punicis in Hispania momentum attulit. *

* Mare primo navigandum sorte obtigisse Iapheto, refert Iacobus Hugo hist. Roman. p. 40. Ex quo sequitur, penes eum quos, fuisse imperium maris, etsi id iuxta profanorum auctorum monumenta primus habuit Minos II. teste Diodoro Siculo biblioth. hist. l. 4. cap. 62. Cui assentiuntur Aristoteles polit. lib. 2. c. 8. Solinus Polyhistor. cap. 17. quando affirmat, primam fuisse Cretam, quae mari potuisset navigare: quibus verbis haud alius indicatur, quam Minos, ultimis retro seculis laude honoreque imperii maris celebratus, in quam sententiam discessere omnium aetatum scriptores, inter Ecclesiasticos Eusebius, Hieronymus, qui eodem praefatione ipsum illustrarunt. Id vero etiam proditum est a Plinio, primum praelio maritimo expertum fuisse, lib. 6. H. N. cap. 56. quem auctoritate testimonioque suo iurant Diodorus bibl. lib. 3. et plures alii, quorum monumentis id testatum abunde est atque expressum. Mibi satis fuerit his docere exemplis, omnium seculorum consensu atque rationibus munitam esse sententiam, quae imperium maris comprobatur, idque nunc cum primis elucet, ubi de eo inter Romanos Paenosque est disceptatum: utrisque enim eadem maris opportunitas, sed dispar fortuna fuit, quae in praesens Carthagini prospera, dein tam adversa fuit, ut nulla ratione emendari, nullo consilio immutari posset Nova Carthago, quam eo instituto a fundamentis in Hispania aedificavit Asdrubal, describitur a Polybio II. 13. portu et navigatione versus Africam utilissima, X. 8. 10. et Livio XXVI. 42. His addatur Strabo 17. Polyacnus 8. Pomponius Mela II. 6. Solinus cap. 26. Silius Poeta lib. 15. Sed magno in errore versatus Appianus est, quando Carthaginem novam cum Sagunte eandem fuisse putavit, de bell. Hispan. p. 443. Inter recentiores de ea urbe tradiderunt Eduardus Nanius, Ambrosius Monules, luculenti rerum Hispanicarum scriptores. Neque est, ut aliquid de prisca Paenorum per mare Atlanticum navigatione attexamus, de qua erudite disseruit Iohannes Langius, cui et Barnabae Brissonio pluri rationibus haud usquequaque validis dissentit Samuel Bochartus in Canaan lib. 1. cap. 38. Omnino enim in opinione sumus, navigationes in Americam sine pyxide nautica, cuius usus plane veteribus ignotus fuit, idque recte haecenus Bochartus contra Nicolaum Fulferum docuit, factas fuisse, supplementibus eius defectum observationibus siderum, Solis praefertim et Lunae, ventorum insuper ac demum promontiorum portuumque. Verum ea disquisitio non est huius loci. Tantum vid. Io. Gor. Becanus in Hispan. l. 7. p. 115.

§. X. Vt cunqve autem magna incrementa haec urbs cepit, et multos genere factisque claros viros habuit, tamen septingentesimo post anno, quam ab Didone aedificata fuerat, a Scipione Africano igni deleta, triste etiam Romanis intuentibus spectaculum fuit, fato fere magnarum urbium, securitate nimia aut mole sua ruentium, atqve adeo exemplo potentiae seipsam non capientis, raro sempiternae.

* V. Flor. ep. hist. Rom. l. 3. cap. 15. coll. l. 2. 6. ubi praesagium Annibalis de eo excidio commemorat: neque melius omen fuit, quod urbs maris ac tot insularum domina, exusta a Scipione classe, accepit, quippe ob quam ea non secus, ac si iam tum funditus perisset, comploravit, haud ignara, imperii nervum ista primum calamitate incisum fuisse, apud Plutarch. in Scipione. Quae fortuna urbis Scipioni lacrymas expressit, Appianus de bell. Pun. p. 135. seq. Add. Velleius Paterculus 1. 12. 13. Themistius orat. 5. ad Valentem ex recensione Georgii Remi, Eutropius editionis Venetae Domitii Calderini cap. 3. Orosius lib. 4. cap. 23. cuius mali causam exposuit Hanno, et ex profunda imperandi cupiditate mutuaqve Punicae et Romanae rerum publicarum aemulatione eruit, ap. Appian. p. 78. Itaque eius reipublicae interfuit, non adiri Italiam, atqve imperium coerceri intra terminos, bellisqve ad offensionem comparatis, quae eius urbis conditio non patiebatur, prorsus abstineri. Vasta enim imperia eo propius a periculo absunt, quo plus ex mole habent, atqve adeo modum superant, ut praeclare explicatum est ab Aristotele 7. polit. cap. 4. et a Dione Chrysostomo, viro et multae prudentiae et magni iudicii, orat. 17. Sed quae corporum, eae imperiorum, nisi ratione moderationeqve suscitantur, vices sunt, prodito Carthaginis exemplo, quod moneat, eam urbem primo sub regia Didonis potestate, dein ab excessu eius, cum ingenia Poenorum non ferrent muliebri imperium, sub paucorum imperio stetisse diu, et ut variabat temporum fortuna, ita dissimiliter floruisse, et tandem, ubi animos vitia atqve libido dominationis incessissent, penitus eversam fuisse. Alioqui religionis Carthaginensium vel hoc unum extat testimonium, quod primitias suas Dis Tyri consecrarunt, et migrationis ex ea urbe factae memoriam haud dubie reuocarunt atqve solemniter celebrarunt. Excerpt. Polyb. CXIV. 3. Eundem in modum pueros Saturno immolandi ritum a Tyro acceperunt, Q. Curtius IV. 3. 23. collat. IV. 4. 20. Plinius tradit, Herculi foodum tale sacrum esse factum, H. N. XXXVI. 5. Illi subscribit Achilles Tatius, Herculem cum primis Carthagine cultum affirmans, more, ut apparet, a Tyriis, quarum colonia ista urbs fuit, tradito. Atqve Tyrios sacrificasse Herculi, testimonio suo comprobatur Herodotus II. 47. Distincte explicat Diodorus, et Herculi ob colonias ex ea urbe missae patrocinium, Saturno, quod non nisi victimis pueros placaretur, sacrificium istud peractum scribit, ac unde isthaec superstitio manaverit, explanat. Servius in IV. Georg. et IIX. Aeneid. Strabo l. 10. Geograph. Halicarnassensis l. 2. Pausanias in Arcad. De coelesti Dea, cuius ara apud Carthaginenses fuit, perinde est, Venus, an Luina, aut utraqve etiam intelligatur. Illius colendae rationem in Sicilia acceperunt, Diod. IV. 95. eamqve signat numus IOX. COAIMIC. id est, Iuliae Soaemidis, de qua vid. Herodias-

rodianus V. 3. et Xiphilinus in Macrino. Huius nomen simulacrumque exprimit Herodotus V. 6. ad quam indicem digitum quoque intendit Praeful Hipponensis de C. D. lib. 2. cap. 4. Iustus Lipsius nomine coelestis Deae vult denotatam esse Iunonem. Quae forte causa sit, cur Iunonia a C. Graccho appellata fuerit. Ac ea sententia tandem P. Fabri animum expugnavit, semestr. l. 3. c. 2. Fuitque tanta Carthaginiensium erga Deos religio, ut testes quoque et velut sponsores ictorum foederum allegarent, cuius rei exemplum illustre in excerptis Polybianis est, VII. 2.

§. XI. Quamobrem si scriptores et fide graves et doctrina praestantes Carthaginem FELICIS titulo augent ornantque, ea intelligenda est, quae secunda dicitur, quam veteri proximam extruxit Octavius Augustus, quaeque diu multumque floruit sede Proconsulum Romanorum, et summam totius fere Africae utilitatem complexa est atque laudem.

Primus eo coloniam misit C. Gracchus, unde paulatim quasi ex cineribus resurrexit, et elapsis CII. annis iam usque eo crevit, ut Carthago secunda diceretur. Solinus Polyb. cap. 30. Auctor est Appianus Alexandrinus, Adriano aequalis, et neque in rebus Africae, neque Romanorum peregrinus, Augusto Carthagini e ruinis instauratae laudem acceptam ferendam esse, quae procedente tempore adeo aucta amplificataque est, ut publicis monumentis efferi coeperit atque illustrari. Ἰάλιος Καίσαρ ὁ Σεβαστὸς ἐπὶ τὴν ἀσπίδα ἐν τῷ τῶν ἀφ' αὐτῆς ὑπογεγραμμένῳ τῷ πρυτανεῖς, συνέταξε τὴν νῦν Καρχηδόνα ἀγχιτάτω μακίστῃ ἐρείνης. De bell. Pun. 85. fin. ubi cum de Carthagine secunda memorat, simul indicat primam, atque situs propinqui ratione alteram ad alteram verbis satis evidentibus refert. Quae omnia plana sunt et perspicua, nisi quod Augustum nomine patris adoptivi Iulii expressit, more institutoque Romanorum convenienti.

§. XII. Terrullianus, natione Afer, qui eodem seculo vixit, quo Appianus, et grandem aetatem ad initia usque imperii Caracallae produxit, tam vere, quam graviter eam sententiam confirmat, ac talia scribit, quae cum Severi atque Bassiani Caracallae monumentis re atque verbis congruunt. Nam in libro reconditae antiquitatis, quem de pallio inscripsit, sic de Carthaginiensibus memoriae prodidit, ut nullo negotio quilibet intelligat, non priscam illam et funditus eversam, sed secundam atque ab augustis imperatoribus instauratam amplificatamque Carthaginem nominare voluisse.

Et primae et secundae Carthagini senatus omni dignitate ornatus cumulatusque fuit: illum Vergilius sanctum nominavit, hunc titulo FEL. CART. magno loco numeroque fuisse licet ex numis haud suspectis existimare. His pondus addit Tertullianus, dum Carthaginienses appellat vetustate nobiles, novitate felices. Vetustate gentis ultima vestigia, quae ad Phoenices usque referuntur, indicat, novitate, Romanorum imperium exprimit, qui si dem ibi locumque PROCOS. collocarunt, et aliquot post seculis in eorum locum relictos consulares surrogarunt, ac magnum adeo nomen atque dignitatem novae urbi addiderunt. Verum in ea Romani Imperii divisione, quae a Constantino M. instituta, et ad

verbum ex Onuphrio a Marco Zoverio Boxbornio expressa est, Carthago secunda adhuc proconsularis memoratur, unde constat, quo in loco habitata fuerit, cum ab Africae vicario, tanquam urbs proconsularis, regeretur. V. Onuphr. Comment. reip. Rom. p. 893, edit. Venet. et Boxborn. hist. univ. p. 296. Eandem vetus inscriptio posteritatis memoriae commendavit quam legendam subiucio.

D. M.

PASSIO. AVG. LIB. PROX. AB EPISTOLIS GRAECIS PROC.
TRACTVS CARTAGINENSIS FABIA Q F PRISCILLA MA-
RITO PVSSIMO ITEM CLAVDIVS COMON. PATRI
BENEMERENTI FECERVNT.

At quo primum tempore urbs facta sit proconsularis, cognoscere licet ex Floro II. 15. cum quo consentiunt Strabo Vell. Paterculus, Rufus Festus, qui tertio demum bello Punico agrum Carthaginis cuius et Numidarum de finibus disceptatio notatur a Livio XXXIV. 61. in formam provinciae redactum, et proconsularem effectum fuisse, haud obscure indicant. Urbs tamen diu post rursus a fundamentis excitata, et domicilio Procopii attributa fuit. Quod longius persequi non est huius operae: nisi quod ad Libycae Carthaginis satum adicit Florus, solam uxorem Asdrubalis, cum urbs arderet, reginam Didonem esse imitatum, II. 14.

§. XIII. Verum enim vero superioris dignitatis rationes immutavit Iustinianus imperator, et urbem multis antehac casibus defunctam, novo exemplo honoravit, ac rursus florentem altius provexit, Consularisque sedis titulo auxit, * hisque rebus demonstravit, omnino in urbium felicium loco tunc quoque habitam fuisse.

* *Eo extat Iustiniani sanctio D. de off. praef. pract. Afr. l. 1. §. 1. 2. sub id tempus spes erat, urbem eadem felicitate in posterum usuram, nisi mox occupata a Saracenis, et direpta soloque pariter aequata fuisset. Ante expugnata est a Vandalis, quod accidit anno CCCCXXVII. Quibus eam demum eripuit Iustinianus, et consulari dignitate auxit. V. Procop. in Vandal. Iornand. d. reb. Getic. summam Onuphrius Imp. Rom. 932. Vbbo Emimius Graeciae tom. 3. p. 177. in descript. reip. Carthag. Saraceni ea potiti sunt. Leontio rerum apud Constantinopolitanos potiente, Constant. Manass. annal. p. 104. editionis Leunclavianae. Seculo XIII. Carolus Siciliae rex urbem eam tot superiorum temporum ruinis foedatam expugnavit, novissime Carolus V. Imperator in potestatem redegit. Thomas Fazellus post decad. l. 8. cap. 4. et eiusdem decad. l. 10. cap. un. p. 564. Io. Claverus hist. epit. p. 581. edit. Batav. De qua editum est iam olim vaticinium, ex ea regnum Saracenicum eversum iri, quo pacto factum est, ut Tunetum, Carthagine saepius deleta, et vetustate quasi oblitterata, illustraretur admodum, et regni eius, quod dicitur Tunetanum caput fieret atque haberetur. Fazell. post decad. p. 370. seq. Eodem spectat sinistrum, cum de eius instauratione ageretur, auspiciis, apud Orosium lib. 5. cap. 12.*